

DE VIRTUTE OBOEDIENTIAE

CA. 1562

Praefatio

I. - MONUMENTUM est *ineditum*, praeter breviorem quamdam transcriptionem « canonum de oboedientia », quos infra in textu edimus paragrapho II. Illi « canones », breviores nostris, editi fuerunt in MI, *Epist. XII*, 661-662, et inde ab AICARDO, *Comentario I*, 801.

II. - AUCTORES: EN, IV, 8-9; M. NICOLAU, *Jer. Nadal* p. 405-406; MI, *F. narr. II*, 56*. Quoad « canones de oboedientia » breviores: MI, *Epist. XII*, 661.

III. - TEXTUS. Invenitur apographus, manu Didaci Jiménez exaratus, sed a Natali propria manu emendatus per omnia et auctus, in codice ARSI *Instit. 221*, fol. 266r-273v (antea f. 332-339v). In dorso huius codicis legitur: *H. Natalis Collectanea de Exercitiis, de S. Ignatio, etc.*; antea vocabatur: *Collecta per P. Natalem*, ut hodie etiam legi potest in operimento interiore, in parte ibi affixa ex pristino tegumento. Descriptus fuit in EN, IV, 1-10; et brevius in MI, *Scripta de S. Ignatio I*, 19.

In codice eiusdem Archivi *Instit. 206*, descripto in MI, *Reg. p. 44*-45**, in fol. 245r-247v sub titulo « De perfectione obedientiae » inveniuntur idem *canones de oboedientia* qui sunt in codice *Instit. 221*, de quo modo locuti sumus. Sed deficiunt in exemplari *Instit. 206* additiones et correctiones autographae Natalis quae sunt in codice *Instit. 221*; licet in margine fol. 245r sequentia legantur: « Este no dará copia sino a quien juzgará se puede ayudar dello, como a los superiores, y si otra copia se tiene, según está, se emienda por ésta »¹.

In MI, *Epist. XII*, 661-662 editi fuerunt, ut innuimus, quidam « Cánones de nuestro P. S. Ignacio de Loyola, hallados en los archivos de Roma después de su muerte, por los cuales se conoce al verdadero obediente, tal qual él desea en nuestra Compañía de Jesús ». Numerantur 15; pauciores sane iis qui sunt infra edendi. Finiunt: « Más cánones son, pero el que guardare éstos no hará poco »². Hi sunt « cánones » quos editit AICARDO I, 801. Inveniuntur quoque in codice

5852, *Bibliothecae Nationalis Matritensis*, fol. 23rv. Sunt iidem 15 canones qui editi sunt in MI, *Epist. XII*, 661-662, et sub eodem titulo; qui finiunt eodem modo: « Más cánones son, pero el que guardare éstos no hará poco »³. Modus vero scribendi titulum in his « cánones » indicat tempus conscriptionis esse sat posterius Natali, scilicet post canonizationem S. Ignatii (1622). Patet insuper talem transcriptio nem incompletam et in compendio non posse servire ut fundamen tum editionis.

Similes canones, sed plures, reperiuntur in codice *Bibliothecae Burdigalensis* (Bordeaux) ms. 811. H (vel 811.8), fol. 231-232v. Est apographum lingua hispanica exaratum, post brevem introductio nem de perfectione oboedientiae in executione, in voluntate et in intellectu; brevior expositio sive compendium *Canonum oboedientiae* qui sunt in § II nostrae editionis. Nullibi in hoc apographo saeculi XVI vel XVII (descripto in MI, *F. narr. II*, 55*-57*) invenitur manus Natalis⁴.

In codice *Instit. 220*, fol. 311-316, inter plura documenta collecta a P. Natali, inveniuntur quaedam *De obedientiae ex doctrina divi Benedicti et divi Bernardi* (hic titulus manu Natalis, in fol. 311r); et fol. 315r-316r, sub titulo « Multa quae minuant bonum obedientiae », est idem documentum, sed minus perfectum et sine correctionibus Natalis, quod infra edimus in § IV, ex codice *Instit. 221*: « De viginti modis quibus impeditur, minuitur aut diminuit solet virtus obedientiae ».

IV. - AUCTOREM horum de oboedientia documentorum edendorum esse Patrem Natalem constat, relate ad ea quae 1^a paragraphe continentur *De perfectione obedientiae Societatis*, ex eo quod pleraque sententiae iam aliis in locis Natalis, et non raro iisdem fere verbis, reperiuntur (ut facile patet consulenti locos quos ad calcem singulorum documentorum referimus). Insuper ipse Natalis addit, cancellat et corrigit, tanquam in re sua.

Relate ad secundam paragaphum sive ad *Canones de oboedientia*, scimus Natalem solitum esse loqui « de canonibus obedientiae » in collegiis quae visitabat⁵, idque iam Compluti cogitavit facere⁶. Canones vero infra edendi videri quidem possunt ex Natali procedere, ex ea ratione quod ipse corrigit, addit et cancellat.

¹ Differentia est tantum in can. 9, qui sic habetur in hoc ms.: « 9. El que obedece más al superior porque sea bueno o sabio, inobediente ».

² In codice *Instit. 178 I*, fol. 145r-146r puncta 11 circa oboedientiam habentur hispanice conscripta, quae in indice praevio tribuuntur Sancto Ignatio; sed prima pagina cancellata est, et sententiae de oboedientia quae hic habentur non videntur exscriptae esse aut indolem referre ex iis quae sunt in documento edendo.

³ Sic legi potest inter « Annotationes communes collectae ex usu visitationum », ad titulum « Dicendum in collegiis, praeter caetera », in EN, IV, 630: « De canonibus obedientiae ».

⁴ Vide in EN, IV, 629 in apparatu critico titulum prius positum: « Fuit dicendum Compluti »; qui postea a Natali emendatus est titulo generaliore « Dicendum in collegiis, praeter caetera ».

¹ Verba « juzgará », « está », habentur sine accentu in ms.

² *Ibid.* p. 662.

Nonnulla sane sententia alibi in Natali reperitur; sed de omnibus sententiis id non dicimus. Certe huiusmodi canones pertinent ad res particulares et modos concretos imperfectionis in oboedientia, magis quam ad perfectionem oboedientiae, quam ipse evolvit in suis exhortationibus. Sed in ms. Burdigalensi, *ms. 811. H.*, de quo diximus, hi canones reperiuntur inter res certo Natalianas, scilicet inter Exhortationes Complutenses et « Puntos para ayudarse en el espíritu »⁷. Quare, cum 15 canones de oboedientia tribuantur Sancto Ignatio in ms. Bibl. nat. Matritensis et in ms. edito in *Epist. XII*, 661-662, ceteri canones, quos edimus, videntur amplificatio quaedam facta vel collecta a Natali, sed desumendo ex sententiis praesertim Patris Ignatii; ad quod videtur alludi in fine huius 2^{ae} paragraphi ubi dicitur: « Elicantur similiter canones ex verbis P. Ignatii... ».

Ideae quae sunt in tertia paragrapho monumenti edendi pertinent certe ad sententias Natalis aliunde notas. Quare et hanc tertiam paragraphum ipsi adscribimus.

Quarta denique paragraphus pauciores exhibet correctiones Natalis; ipse addit tres fere locos referendo verba S. Scripturae; delet unum locum longiore. Doctrina patristica de oboedientia, quam adhibet, est praesertim S. Benedicti et S. Bernardi. Invenitur, ut diximus, aliud apographum in codice *Instit. 220*, fol. 315r-316r, inter documenta quae, a Natali collecta, exhibent doctrinam S. Benedicti et S. Bernardi de oboedientia.

Quare, si compendio dicere volumus, non est nobis dubium prudens quin prima et tertia paragraphus sint Natalis omnino. Idem *videri* potest de secunda paragrapho sive de canonibus oboedientiae, modo id intelligamus sensu explicato, nimurum Natalem fecisse amplificationem et additiones ad lubitum supra canones S. Ignatii, vel factam ab alio fecisse suam. Paragraphus quarta corrigitur certe a Natali, et *inde fit sua*. Sed hinc non satis constat *ab eo* collectam esse doctrinam, quia poterat ipse nonnulla corrigere in re aliena; ut accidit in documento sequenti codicis *Instit. 221*, (fol. 274r-279v), quod continet emendationes Natalis in epistola S. Ignatii de oboedientia, quae postea non sunt in editiones inductae. Ceterum maior pars documentorum quae sunt hic collecta (a folio 257-263: « De la oración specialmente para los de la Compagnía »; postea [fol. 264-265 fere alba] fol. 266-273: De oboedientia; fol. 280v-283: « Del modo de proceder de la Compagnía ») sunt certe Natalis.

V. — TEMPUS COMPOSITIONIS. Ex iis inter quae colliguntur et inveniuntur haec de oboedientia documenta, videlicet inter illud « De la oración specialmente para la Compagnía », quod pertinet ad secundam visitationem Natalis in Hispania et Lusitania (a. 1561-1562)⁸, et aliud « Del modo de proceder de la Compagnía », quod censemus pertinere ad idem tempus⁹, sequi videtur haec quoque documenta de oboedientia, manu Didaci Jiménez, socii illius visitationis, scripta, ad illud quoque tempus pertinere; vel ad paulo

posteriorius, usque ad 1 octobris 1562, quo die a Natali Didacus Jiménez Augusta missus est Romam¹⁰, et durante visitatione Galliae et Germaniae. Accedit ea ratio quod apographum quod est in codice *Instit. 206*, invenitur inter documenta quae pertinent ad secundam visitationem Lusitaniae (1561), sed nondum habet autographas correctiones posteriores a Natali factas. Ideo ponimus datum huius Monumenti ad annum ca. 1562.

VI. — RATIO EDITIONIS. Damus litteris italicis quae Natalis propria manu scripsit. Emendationes ex apparatu, ut de more, cognoscuntur.

Textus

[DE VIRTUTE OBOEDIENTIAE]

§ I. — DE PERFECTIONE OBOEDIENTIAE SOCIETATIS. — 1. *Ratio perfectionis in oboedientia religiosa.* — 2. *Oboedientia triplex, in execuzione, voluntate et intellectu.* — 3. *Analogiae cum fide, cum intellectu uno, cum iustitia originali, cum revelatione.* — 4. *Quid si iuberetur res impossibilis vel peccatum.* — 5. *Oboedientia partim caeca, partim videns esse debet. Perfectio oboedientiae.*

§ II. — CANONES DE OBOEDIENTIA.

§ III. — DE OBOEDIENTIA CAECA. — 15. *Oboedientia tractanda ex spirituali intelligentia, ex auctoritatibus et ex ratione.* — 16. *Exempla quae suadent oboedientiam caecam.* — 17. *Cur caecitas inveniatur in ratione oboedientiae.* — 18. *Ratio ex similitudine cum fide.* — 19. *Ratio ex indifferentia, de qua Exercitia.* — 20. *Si praeter meritum quis opprimitur, id est gloriosum.* — 21. *Prompta voluntas, si intellectus non considerat quae impediunt.* — 22. *Oboedientia coniuncta cum iudicii simplicitate.*

§ IV. — DE VIGINTI MODIS QUIBUS IMPEDITUR, MINUITUR AUT DIMINUI SOLET VIRTUS OBOEDIENTIAE.

[f. 266r]

IHUS

§ I]. — *De perfectione obedientiae Societatis.*

[1] Obedientiae ratio longe diversa est ea, quae in religionibus voto firmatur, quam alterius cuiusvis. Obedientia enim religiosa non *constat* nisi ad perfectionem contendatur. Itaque quae sunt consilii et supererogationis persequitur haec obedientia, quacunque ratione perfectionem sibi conciliare possit¹. In alia quavis obe-

¹ post *Ihus legitur Rs. 2 rursum manu Natalis* || 2 *titulus De perfectione — Societatis manu Natalis* || 4 *ante obedientia del. In* || 5 *constat in marg., corr. ex satis est*

¹⁰ Ut inciperet cursum Artium; EN, II, 490.

¹ Cf. NATALIS, *Exh. 16 Conim. n. 2-3, 9; p. 164-165, 167.*

⁷ Cf. F. narr. II, 56*.

⁸ Cf. JER. Nadal p. 103; EN, IV, 672 sq.

⁹ Cf. Praefatio in *Dialogos* (IV).

dientia satis est, ad summum, si ad peccatum veniale non impingatur; minimum ac necessarium, ut citra mortale prestetur.

[2] Obedientia debet praestari opere, voluntate ac simul intellectu; non solum ut caecus sit ad ea quae praecipiuntur intellectus, *ut nihil videat earum rerum omnium quae possint obedientiae perfectionem impedire vel debilitare, sed post hanc caecitatem videns ac boni consulens in omni plenitudine spiritus, non ea tantum quae praecipiuntur, sed quae innuuntur vel quavis coniectura investigari possint e superioribus proficiisci quovis signo. Non enim perfecte obedit voluntas, nisi suo actu atque affectu intellectum ducat plene ad suam obedientiam, etc.*²

[3] Obedientia *similem* habet modum quietis et firmitatis
20 *atque* fides.³

Obediens ita se comparet, ita sibi persuadeat, *ac si* alio intellectu et voluntate *non* intelligeret *aut* vellet quam superioris sui.⁴

Obedientia similis est iustitiae originali, quae sub simplicitate et puritate cordis in plenitudine innocentiae subdebat Deo animae 25 superiori partem, unde aliarum et virium et actionum consequebatur subiectio.⁵

Obedientiae exercitium simile est apertae Dei revelationi.⁶ Nam ubi audio superiori, tantundem mihi esse debet ac si Deum ipsum praesentem audirem.⁷

Obedientia ita homini praestatur ac si Deo ipsi, non tantum propterea quod amore Dei homini obedio, sed quod votum fit Deo ipsi simul eademque obligatione homini.⁸

12-13 ut nihil — caecitatem *in marg.*, *del.* *in textu* sed || 19 similem *sup. lin.*,
corr. ex eum || 20 atque *sup. lin.*, *corr. ex quallem* || 21 *ac si sup. lin.*, *corr. ex non* | *alio del. se* || 22 non *sup. lin.* | *prius* intelligere ac velle

² Cf. S. IGNATIUS, *Epistola de oboedientia sociis Lusitaniae* n. 5-19: MI, *Epist.* IV, 672-677; *Exh.* 16 *Conim.* n. 10-13, p. 167-169; *Exh.* 11 *Compl.* n. 206; *Dialog.* II, n. 85. Ex P. Nadal editum est italicice in MI, *Epist.* XII, 663-665, «de triplici gradu obedientiae»; in quo proponitur doctrina de triplici modo perfectionis in oboedientia. Idem documentum interpretatur hispanice AICARDO, *Commentario I*, 816-817.

³ Cf. *Epist. de oboedientia* n. 23: MI, *Epist.* IV, 679; *Exh.* 16 *Conim.* n. 15, p. 169-170; *Exh.* 11 *Compl.* n. 214; *Dialog.* II, n. 88.

⁴ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 2-3, p. 171-172; *Exh.* 11 *Compl.* n. 214.

⁵ *Exh.* 16 *Conim.* n. 14, p. 169.

⁶ Cf. *Exh.* 16 *Conim.* n. 13, p. 169; *Exh.* 11 *Compl.* n. 214.

⁷ Cf. *Exh.* 16 *Conim.* n. 13, p. 169; *Exh.* 11 *Compl.* n. 207.

⁸ Cf. *Exh.* 16 *Conim.* n. 13, p. 169.

[4] Superior etiamsi iubeat rem impossibilem, obedientia tamen movet ad obediendum nulla ratione habita difficultatis vel impossibilitatis.⁹ Quodsi tam esset obedientia perfecta, ut nonnullorum sanctorum fuit, [f. 266v] vinceret impossibilitatem naturae et difficultatem in Christo¹⁰; si tam perfecta non erit, sed vera tamen, ea impingeat in impossibilitatem in simplicitate cordis, ac tunc demum dolens desistet ex necessitate rei, et promptitudinem animi sui referet ad superiorem, in humilitate cordis et simplicitate,¹¹ *simul se non potuisse exequi, quod faciet admodum verecunde quasi eo suam culpam agnoscens*¹². Nunquam obediens cogitat, vel etiam, stante obedientiae virtute ac statu et potentias actuante, cogitare nisi ex alio principio potest, superiorem praceptorum volitum vel quod impossibile vel quod peccatum est, nisi fortasse pura ac simplici speculatione, atque in hanc quidem vix animadvertere potest. Quod si practice ea cogitatio occurrat, hoc est, quae affectum moveat, sciant omnes tentationem eam esse quae velit obedientiae puritatemet ac simplicitatem labefactare astute.¹³

Quae cum ita sint, ubi tamen cogitatio alicui occurreret vel tentatio, quae suggereret impossibile vel peccatum praecipere superiorem, id non suo iudicio censebit vel definiet, sed superioris; et si (quod Deus avertat) superior aperte ac notorie malus esset, id censebit speculative quidem obediens ipse, definitionem vero ipsam relinquet bonorum patrum professorum arbitrio ac suo confessario.¹⁴

[5] Obedientia partim caeca esse debet partim videns; caeca quidem tum ad omnes rationes quae eam interpellare possint vel impedire; tum ad ea quae autoritatem superioris diminuere *in animo nostro* possint. Itaque nec defectus in superiore obedientia

⁹ 36 *prius* vincet || 37 tam] ta ms., *charta abrupta* | erit, sed *in marg.*, *corr. ex est* || 38 in² *sup. lin.* || 41-42 faciet — agnoscens *in marg.* || 51 *prius* suggesteret || 57 *in marg.* manu *Natalis scriptum*, *postea cancell.*: obedientia caeca est: ram quandoquidem intellectus [*prius* voluntas] voluntati unitur, haec unio [*del.* siquidem est voluntatis, caeca est] facit ut fiat intellectus caecus || 59-60 in *animo nostro* *in marg.*

¹⁰ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 11-12, p. 174-175; *Exh.* 11 *Compl.* n. 217; *Dialog.* II, n. 86.

¹¹ Cf. *Epist. de oboed. sociis Lusitaniae* n. 23-24: MI, *Epist.* IV, 679.

¹² *Exh.* 17 *Conim.* n. 11-12, p. 174-175; *Exh.* 11 *Compl.* n. 217; *Dialog.* II, n. 86.

¹³ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 11, 13; p. 174-175; *Exh.* 11 *Compl.* n. 218.

¹⁴ Cf. *ibid.*

videt; ad haec igitur caeca est¹⁴. Quodsi ad ea visum recipiat, is erit qui, perspectis rationibus in luce obedientiae, tenebras rationum omnium tum etiam rerum omnium quae infirmare eam possunt effugabit. Videns vero est obedientia ac boni consulens omnia quae a superiore profiscuntur quovis signo, ac semper in eo clare contemplatur Christi ipsius et praesentiam et autoritatem. Est enim lumen obedientiae simile lumini verae ac christianaे contemplationis, quo veritates eluent, quod falsum ac vanum intelligi non potest¹⁵.

Vera obedientia habet tres *facultates* ac suarum *actionum* perfectiones. In exequutiva promptitudinem, fortitudinem, facilitatem, breviter, ea omnia quae exterius ex perfectione potentiarum et actuum voluntatis [f. 267r] atque intellectus desiderantur. In voluntate applicationem dulcem, suavem, perseverantiae ac virtutum omnium adiutorio suffultam. In intellectu lumen splendidum quo intellectus facile assentitur, et aliud cogitare vel sentire *non posse videatur quam quod obedientia proponit*, ac rationes praeterea concipit copiose quibus confirmatur obedientia¹⁶.

Obedientia est caeca, quandoquidem ad voluntatem alterius regulatur; in qua, cum caeca sit (neque enim cognitiva est potentia, voluntas), transformari debet et rei exequutio et sensus voluntatis meae, simul et intellectus iudicium.

[§ II. — CANONES DE OBOEDIENTIA]

[6] Qui scrutatur rationem quare superior praecipit, inobediens est¹.

Qui disputare inducit animum, an recte praecipiat superior, inobediens est.

5 Qui petit rationem quare ita praecipiatur, inobediens est.

¹⁴ 70 facultates sup. lin., corr. ex potentias + actionum sup. lin.; prius suorum actuum || 76 et del. nec || 76-77 non posse — proponit in marg., corr. ex potest || 1 del. quod. Natalis primum scripserset quasi titulum: De perfectione obedientiae in Societate Iesu

¹⁵ Cf. Exh. 16 Conim. n. 16, p. 170; Exh. 11 Compl. n. 210-211.

¹⁶ Cf. Exh. 16 Conim. n. 16-17, p. 170; Exh. 17 Conim. n. 25, p. 178; Exh. 11 Compl. n. 210.

¹⁷ Cf. Exh. 16 Conim. n. 10-13, 16; p. 167-170; Exh. 11 Compl. n. 210; Dialog. II, n. 88.

¹ Cf. Exh. 11 Compl. n. 211.

Qui propter rationem obedit, *et non unice propter voluntatem superioris in Christo*, inobediens est².

Qui propterea obedit quod sibi alioqui placet quod praecipitur, inobediens est.

Qui soli voci superioris obedit, et non cuivis signo voluntatis³, inobediens est.

Qui unitatem non habet in obedientia *et, cuicumque superiori obedit*⁴, *id Dei obedientiam non referat, inobediens est*.

Qui Deum non contemplatur ipsum in superioribus⁵, inobediens est.

Qui superiori magis obedit, quod bonus vel sapiens, etc. sit⁶, inobediens est.

[7] Qui magis obedit uni e superioribus, etiamsi summus sit, quam alteri, etiamsi infimus, inobediens est.

Qui inducit in animum cogitare superiores esse contrarios vel diversos, inobediens est.

Qui curiose agit inquirens, an superior bonus sit, an doctus et huiusmodi⁷, inobediens est. [f. 267v]

Qui desiderat superiorem sibi indulgere vel in suam voluntatem condescendere⁸, inobediens est.

Qui indiferens non est, quicquid superior praecipiat, inobediens est.

Qui caecus non est ad imperfectiones omnes superiorum *vel obedientiae obvenientes difficultates*, inobediens est.

[8] Qui ita credit alicui secretum in Societate, ut nolit omnino illud scire superiorem⁹, committens scilicet sub sigillo secreti vel sub confessione, ut solet dici, cum confessio non sit, inobediens est.

⁶ obedit del. inobediens est; add. et non unice — in Christo | unice prius del., iterum scriptum || 7 in Christo in marg. || 12 obedientia del. inobediens est; add. et cuicumque — inobediens est || 16 etc. sup. lin. || 19 infimus del. sit || 28 est del. illeg. || 28-29 vel obedientiae — difficultates in marg.

² Cf. *ibid.*

³ Constit. p. 6, c. 1, n. 1; Exh. 17 Conim. n. 24, p. 177.

⁴ Cf. Examen c. 4, n. 29; Constit. p. 3, c. 1, n. 24; Exh. 17 Conim. n. 20, p. 176.

⁵ Cf. Constit. p. 3, c. 1, n. 23; p. 6, c. 1, n. 1; Exh. 16 Conim. n. 8, p. 167; Exh. 11 Compl. n. 207.

⁶ Cf. Epist. de oboed. sociis Lusitaniae n. 3: MI, Epist. IV, 671.

⁷ Cf. *ibid.*

⁸ Cf. *ibid.*, n. 6, p. 674.

⁹ Cf. Constit. p. 4, c. 10, n. 5.

Qui in confessione sacramentali huiusmodi secreta vel dat vel recipit, si nihil ad confessionem attineat, inobediens est.

³⁵ Qui boni non consultit, etiam videns ac considerans, quicquid praecipit superior, inobediens est¹⁰.

Qui differentiam sentit, si superior dicat simpliciter et voluntatem suam explicet¹¹, vel si simpliciter praecipiat, vel omnino in virtute sanctae obedientiae iniungat, inobediens est.

⁴⁰ Qui dicit se velle obedire et sentire quod praecipitur, et tamen difficultatem pati in exequitione, excusans quod natura sua repugnat¹², inobediens est.

[9] Qui appellat ad theologos, prasertim scholasticos, et summiſtas, in obligationibus obedientiae, inobediens est. Non enim illud est regulare suam obligationem ex doctorum sententia, sed ex eo quod ipse sibi persuadet esse doctorum sententiam. Quodsi ad doctores quis appellet, id ex aliorum iudicio esset agendum; ac rursum perfectus in obedientia non erit, nam superior legitimus illi debet esse instar doctorum, nisi aperte peccatum, vel impossibile praecepiteretur; sed de hac obligatione, iam est superius dictum¹³.

Qui dicit se quidem velle et sentire quod dicit superior, sed tamen aliud iudicium non posse sibi non reprezentari, inobediens est¹⁴. [f. 268r].

⁵⁵ Cui in obedientia superioris, primo occurrit ratio contraria vel difficultans, etiamsi statim consequatur plenitudo abnegationis et perfectionis in ea, is inobediens est¹⁵.

Qui ex suo sensu interpretari inducit in animum Constitutiones vel regulas, et non potius superiorum interpretationi acquiescit, inobediens est.

[10] Qui imperfecte obedit immediatis superioribus, excusans vel appellans quod aliter dixerit superior alius mediatus, vel quod aliter habetur in Constitutionibus vel regulis, inobediens est. In hoc tamen casu sufficiat representare superiori immediato quod

³⁴ inobediens est *del.* Qui caecus non est ad ea omnia quae praecipit superior, inobediens est || ⁴⁰ dicit *sup. lin.* || ⁴¹ prius patitur || ⁴⁷ id *del.* erit i iudicio *del.* id

¹⁰ Cf. *Constit.* p. 3, c. 1, n. 23.

¹¹ Cf. *Constit.* p. 6, c. 1, n. 1; *Exh.* 17 *Conim.* n. 24, p. 177.

¹² Cf. *Constit.* p. 3, c. 1, n. 23.

¹³ Supra, in paragrapo I, n. 4.

¹⁴ Cf. *Epist. de oboed. sociis Lusit.* n. 5 sq., p. 672 sq.

¹⁵ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 9, 11; p. 173-174.

alius superior dixerit vel praeceperit, in quietudine ac perfectione obedientiae. Quodsi immediatus superior nihilominus voluntatem suam significat ut illud agat, debet illi obedire, ac credere ipsum scire voluntatem superioris mediati. Erit tamen liberum facta oratione rem totam narrare uni ex consultoribus¹⁶, quo possit significare Provinciali Praeposito vel Generali; maneat tamen unusquisque semper in integritate, simplicitate ac puritate obedientiae sanctae.

Qui existimat sibi indulgendum, quod multum laboraverit in Societate, vel posse se uti iudicio proprio, vel debere promoveri ad altiorem gradum¹⁷, inobediens est.

[11] Qui dixerit se obligari quidem ad obedientiam *iuxta* rationem Societatis, sed in his quae ad regulam spectant, non ad alia, inobediens est. Nam ad omnia quae non sunt peccata obligatur¹⁸. Adde quod nihil posse excludi e regula, continetur in regula et Constitutionibus¹⁹.

Qui, cum superior non sit, ita ex autoritate agit cum fratribus, ut solent superiores cum inferioribus agere, inobediens est. [f. 268v]

Qui inquirit, accepta obedientia superioris vel intellecta eius voluntate, an peccet si non obediatur vel quali peccato peccet²⁰, inobediens est.

Qui se ita sentire dicit ut superior, propter obedientiam, significans alioqui non ita se iudicaturum, vel rem *non* esse alioqui bonam rectamque non esse, inobediens est.

[12] Qui, abeunte aliquo superiore, petit ab illo ut aliquid sibi liceat eo absente, et non omnino simpliciter et humiliter est subditus⁹⁰ suo ordinario superiori, inobediens est.

Qui curiose agit in alterius officium²¹, inobediens est.

Qui tam familiariter agit cum superiore, ut reverentiae debitae videatur obliisci propter eius indulgentiam et familiaritatem, inobediens est.

⁷⁶ iuxta *sup. lin.*, corr. ex ad || ⁸⁷ non *sup. lin.* || ⁹⁰ et *sup. lin.* || ⁹³ tam *sup. lin.*

¹⁶ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 13, p. 175.

¹⁷ Cf. *Constit.* p. 5, c. 4, n. 5; *Examen* c. 6, n. 5, 6.

¹⁸ Cf. *Exh.* 16 *Conim.* n. 3-4, 10; p. 164-165, 173-174; *Exh.* 11 *Compl.* n. 216.

¹⁹ *Constit.* p. 3, c. 1, n. 23; p. 6, c. 1, n. 1; *Reg.* 31, 33 *Summarii*.

²⁰ Cf. *Exh.* 17 *Conim.* n. 11, 13; p. 174-175; *Exh.* 11 *Compl.* n. 217.

²¹ Cf. *Constit.* p. 4, c. 10, n. 6.

Qui, postquam interrogatus a superiori sententiam ut consultor, tristatur, quod eam non sequatur superior, inobediens est.

Qui, quod videt a superiori proficisci, non boni omni ex parte consulit, dicens *id* facere vel secretarium vel alium superioris 100 familiarem, inobediens est.

Qui suo iudicio vel sensu, etiamsi videatur spiritualis, magis ducitur quam obedientia, inobediens est.

Qui, accepta paenitentia ut doleat, non dolet tamen ut superior videtur sentire ac velle, inobediens est; faciet enim vera obedientia 5 ut hilariter doleat.

[13] Qui habet plures superiores subordinatos, et accurrit ad supremum in obedientiis accipiendis, et non potius immediatis atque eorum obedientia contentus est, inobediens est. [f. 269r]

Qui, quicquid ab eo officii gravioris saltem petitur, operam 10 suam offert absque licentia²², etiamsi coniungat significaturum se id superiori, inobediens est.

Qui ita gubernat quae sibi incumbunt, ut suum potius spiritum ac sensum consulat quam eum qui est Societatis, quem vel ex superiori et Constitutionibus, regulis, consuetudinibus colligere 15 potest, inobediens est.

[14] Qui audita quidem superioris voluntate obedit, sed ita tamen ut ea persuasione ducatur, quae ipsius propria est, non etiam a principio et virtute obedientiae derivatur, inobediens est.

Qui quod ipse vel nequit vel non sperat a superiori suo con- 20 sequi, sive ad personas attineat sive ad collegia vel Societatis negocia, etiam quae magnam videantur habere coniunctam utilitatem seu necessitatem, id per interpositam personam curat a superiori peti, inobediens est.

Qui sibi persuadet superiorem se non diligere; vel alium plus 25 quam se diligere, vel omnino unum quempiam fratrum magis diligere in Domino, inobediens est.

96-97 prius consultoris || 99 id sup. lin. || 8 inobediens est del. Qui ita accipit vel committit secretum, extra sigillum scilicet conf. 269r]fessionis, praesertim inter nos, ut velit illud esse celatum superiori, inobediens est. Et in margine del. quoque manu Natalis scriptum: De eo qui dicit secretarium fecisse || 11 id sup. lin. || 17 derivatur in marg. || 22 personam sup. lin. || 23 inobediens est del. Eliciantur similiter canones ex verbis P. Ignatii, ex constitutionibus et regulis

²² Cf. Constit. p. 6, c. 3, n. 7.

Eliciantur similiter canones ex verbis P. Ignatii²³, ex Constitutionibus et regulis. [f. 269v album] [f. 270r]

[§ III. — DE OBOEDIENTIA CAECA]

[15] Tractetur de obedientia, primum ex spirituali intelligentia, tum ex autoritatibus et ratione idem; ut, qui spiritualiter intelligunt, plenus quiescant; qui ita non intelligunt, autoritate et ratione iuventur ad spiritum et manuducantur.

[16] Obedientia caeca esse debet, nam contraria dispositio fecit inobedientem Luciferum, ubi vel vidit suam perfectionem sine abnegatione¹, vel non boni consuluit quod Deus fieret homo, non angelus². Tum Evam hac ratione tentavit Lucifer, ut oppugnaret caecitatem sanctam obedientiae acceptae³; ac tunc primum cecidit in peccatum, cum amissa caecitate vidit quod lignum esset bonum, 10 etc. In Christo contra, etiamsi nomen caecitatis usurpare non debemus⁴, illud tamen animadvertisimus, nihil prorsus illum practice considerasse quod posset obedientiam quam debebat Patri debilitare, etiamsi alia esse potuisse ratio redimendi generis humani, 15 quam per Dei ipsius mortem, etc. Habuit vero eam abnegationem

13 considerasse sup. lin. || 14 etiamsi del. humano aliqui consilio et ratione
|| 15 quam sup. lin.

²³ Documenta Sancti Ignatii circa oboedientiam invenies in MI, Epist. II, 54-65 (epistola Patri Andreae de Oviedo, ex commissione, 27 martii 1548); Epist. III, 156-157 (de prompta et caeca oboedientia, sociis Romanae domus, 24 augusti 1550); Epist. IV, 559-563 (Patri Iacobo Mironi, de oboedientia a subditis exigenda, 17 decembris 1552); Epist. IV, 669-681 (sociis Lusitaniae epistola celebris, 26 martii 1553); Epist. XII, 659-665 (documenta quae- dam circa oboedientiam).

¹ Sic alludit ad opinionem sat communem, eorum qui ponunt peccatum angelorum in aestimatione inordinata propriae excellentiae.

² Hisce consideratur opinio aliquorum qui, supponendo futuram incarnationem Verbi revelatam fuisse Angelo, existimant eum peccasse appetendo pro natura angelica unionem hypostaticam. Cf. S. AUGUSTINUS, Ench. c. 28, n. 9: ML 40, 246; SUÁREZ, De angelis lib. 7, c. 13, n. 13: Opera, Vivès, II, 885.

³ Cf. Gen. 3, 1-6; Exh. 11 Compl. n. 208; Dialog. II, n. 88.

⁴ Notum est enim humanae naturae Christi ab instanti Incarnationis debitam esse visionem beatificam, et illam possidere.

in obedientia, unde elucerent perfectissimae rationes ac luculentissimae pro illa ratione redemptionis. Virgo etiam Maria perfecte obedivit *in conceptione Verbi aeterni, nihil iudicans in re omnium difficillima et supra omnem humanum sensum posita.* [f. 270v]

²⁰ Abraham item perfecte obedivit in renuntiatione conceptionis Isaac⁵; «contra spem enim, inquit Paulus, in spem credit»⁶. Rursum in immolatione Isaac, arbitratus quia et a mortuis suscitare potens est Deus⁷. Item obedivit ut in locum exiret quem nesciret: «veni in terram quam monstravero»⁸; quasi diceret, ut inquit Chrisostomus: «veni quo nescis»⁹.

[17] Obedientiam referunt doctores ad voluntatem tum praecipientis, tum subditi. Cum igitur voluntas ipsa caeca sit vel non videns, tantum voluntas est superioris consideranda, aliud nihil; et id solum intellectus subditi representare debet voluntati, quod id velit superior. Iam accedente voluntate obedientis, rursus caecitas occurrit, nam voluntas mea, quae ex obedientia moveri debet, caeca est, etc. Nihil est igitur in ratione districta obedientiae quod non faciat pro hac caecitate.

[18] In fide pia affectio ex divina gratia et Sancti Spiritus motione¹⁰ facit ut intellectus caecus fiat ad credenda. Similiter in obedientia Societatis dat Deus¹¹, etiamsi longe perfectior virtus fides quam obedientia.

[19] Ex Fundamento Exercitiorum¹² atque eius spirituali in-

18-19 in conceptione — posita *in marg.* | 19 et supra corr. ex et incredibili || 19 post posita *in tertu cancellantur sequentia*: Monstravit vero nobis in re difficillima quemadmodum debemus obedire, ubi scilicet videretur nobis renuntiari a superioribus res contra nostram obedientiam ad Deum, ut videbatur renuntiare Angelus Mariae paritaram, cum haberet votum virginitatis. Voluit igitur zelum suae virginitatis et voti representare ut, in rebus etiam quae viderentur contra nostram conscientiam, si quid iubearunt, representemus solum superiori zelum nostrum cum humilitate. Quodsi peccatum aperte iuberetur, de eo iam est dictum in superioribus. Alioqui illa responsio [f. 270v] Virginis dispensatio quaedam fuit ad confirmandam eius virginitatem et conceptionem de Spiritu Sancto. Similiter in Joseph ubi voluit eam dimittere

⁵ Gen. 17, 15-19; cf. Gen. 15, 6.

⁶ Rom. 4, 18.

⁷ Cf. Gen. 22, 1-18; Rom. 4, 21.

⁸ Cf. Gen. 12, 1; *Exh. 11 Compl.* n. 208.

⁹ Cf. *Homilia 31 in Gen.* (c. 12, 1), n. 3: MG 53, 286.

¹⁰ Cf. CONCILIO ARAUSICANUM II (a. 529), cn. 5; DENZINGER, *Enchir. Symbol.* n. 178.

¹¹ Cf. supra, in paragrapho I, annot. 3.

¹² *Exerc.* n. 23.

telligentia facile possumus et indifferentiam Societatis spiritu concipere et resignationem, non voluntatis solum, sed etiam intellectus. ⁴⁰ Ex eo enim quod creatus homo sit ut Deum laudet et revereatur, quodque creature omnes ad hunc etiam finem creatae sint ut nos ad id iuvent, fit ut non magis unam quam aliam creaturem ad illum finem eligere [f. 271r] debeamus, nisi quatenus ad id movemur, non ex nobis, sed ex Dei voluntate et gratia¹³; cum ⁴⁵ illam rationem motionis nostrae iam inde ab hoc principio abnegemus. Nihil igitur magnum est, si in Societate illam obedientiam sequi debeamus quae constat voluntatis et intellectus plena abnegatione ac resignatione.

[20] Si surrepat superiore te iniuste opprimere, id nunquam ⁵⁰ alia ratione accipias quam tuis demeritis id facere. Quodsi praeter tuum meritum faceret, id vero esset tibi in primis gloriosum, nam in persona Dei te probat. Accipias igitur pleno sensu spiritus ab eo omnia ut de manu Dei et Christi Iesu, cum hilaritate spiritus in lumine sanctae obedientiae. ⁵⁵

[21] Doctores referunt obedientiam ad voluntatem; reddit enim promptam voluntatem, inquiunt, ad implendam praecipientis voluntatem¹⁴. Igitur, si perfecta sit obedientia, totam voluntatem reddet promptam. Intellectus vero non extendetur ut contrarium vel impediens obedientiam consideret vel statuat, vel omnino nihil ⁶⁰ practice cogitat intellectus quod obedientiae contrarium sit vel impediens; et, si quid imprudenti obveniret, ab eo intellectum averteret¹⁵. Haec citra sensum interiorem persuaderi possunt ex ratione theologa obedientiae vel etiam morali.

[22] Obedientia coniunctam habet animi et iudicii simplicitatem ⁶⁵ et humilitatem, unde vires accipit; ut in obedientia intelligitur Abbatis Ioannis, qui lignum aridum rigabat¹⁶, et toto sensu conabantur immensum saxum promovere¹⁷.

Maior dicitur caeteris virtutibus obedientia, quod bona animae

42 sint prius sunt

¹³ Expositionem huius Fundamenti facit Natalis in *Apologia exercitiorum*: EN, IV, 826 sq.

¹⁴ S. THOMAS, 2, 2, q. 104, a. 2, ad 3.

¹⁵ Cf. *Epist. de oboedientia sociis Lusitaniae* n. 19: MI, *Epist. IV*, 677.

¹⁶ IOANNES CASSIANUS, *De institutis coenobiorum* lib. 4, c. 24: CSEL 17, 63-64; ML 49, 183.

¹⁷ *Ibid.* c. 26: CSEL 17, 65; ML 49, 185-186. Cf. *Epist. S. Ignatii de oboedientia* n. 23, p. 679; *Exh. 17 Conim.* n. 12, p. 175.

70 contemnat ut Deo inhaereat¹⁸; perfectior *igitur* erit [f. 271v] quae simul et voluntatem et intellectum contemnat, quam quae solam voluntatem. [f. 272r]

Ihus

[§ IV]. — DE VIGINTI MODIS QUIBUS IMPEDITUR, MINUITUR
AUT DIMINUI SOLET VIRTUS OBEDIENTIAE

1.^{us} est eorum qui, etsi obediunt in quibusdam, in aliis tamen 5 sunt minus obedientes; quod contradixit Paulus, ad Corint. 2º: « Ideo scripsi vobis, ut faciam experimentum vestrum an in omnibus obedientes sitis »¹.

2.^{us} est eorum qui, etsi faciunt rem iniunctam, non tamen plenam; contra quod Paulus ad † Philemonem †: « Confidens de 10 obedientia *vestra* scripsi *vobis*, sciens quod super id quod dico facietis »².

3.^{us} est eorum qui, etsi faciunt quod dicitur, alio tamen modo et interdum perverso. « Euntes discipuli fecerunt sicut praeceperat eis Iesus ». Math. 21³.

4.^{us} est eorum qui adeo reddunt se difficiles ad obediendum, quod cum multo labore et afflictione moveri possunt a propriis suis ad aliquid faciendum, sicut affligitur qui transferri nititur lapides magnos ad altum locum. Contra hos dicit Paulus ad Hebreos: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim 20 vigilant quasi rationem daturi de animabus vestris, et cum gaudio hoc faciant et non gementes »⁴. Quasi diceret: ita, scilicet, obedite ut non faciatis eos gemere ex difficultate obediendi, sed ex facilitate gaudere, *quum* obedienti nihil sit difficile. Bernardus [?] enim dicit: « Nihil creditibus est impossibile; nihil amantibus est dif-

¹⁸ Igitur *sup. lin.* || ⁹ Philippenses *ms.* || ¹⁰ *vestra sup. lin.*, corr. *ex tua vobis sup. lin.*, corr. *ex tibi* || ¹¹ *prius faciet* || ²³ *quum sup. lin.*, corr. *ex Quod*

¹ S. THOMAS, 2. 2, q. 104, a. 3, c.

² Cf. 2 Cor. 2, 9.

² Cf. Philem. 21; ubi textus invenitur, non ad plures, sed ad unum Philemonem expressus. Ex errore *ms.* habet « ad Philippenses ». Natalis mutat verba, quae prius scripta erant (« Confidens de obedientia tua scripsi tibi, sciens quod super id quod dico facies »), in verba: « Confidens de obedientia *vestra* scripsi *vobis*, sciens quod super id quod dico facietis ».

³ Cf. Mt. 21, 6.

⁴ Cf. Heb. 13, 17.

ficle; nihil asperum mitibus; nihil humilibus arduum reperitur, 25 quibus et gratia confert auxilium, et obediendi devotio lenit imperium »⁵.

5.^{us} est eorum qui ad simplex verbum nolunt obedire, nisi praecipiatur eis; contra quod dicit Paulus *ad Titum* 2: *hortare servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes*⁶. Et si 30 debeat hoc facere servi mundani, quanto magis servi Dei ? Bernardus: In obedientia valde utile est si, id quod [f. 272v] disciplinae rigor imponit, nullo cogente humilitas servaverit⁷.

6. Est eorum qui, non amore, sed timore poenae interdum obediunt; contra quod dicit Gregorius: Obedientia non timore 35 poenae, sed amore iustitiae facienda est⁸.

7. Est eorum qui nunquam obediunt, sed solent multum discutere de mandato; contra quod dicit Hieronymus: Praepositum monasterii timeas ut Dominum, diligas ut parentem, credas tibi salutare quicquid ille praeceperit. Neque de maioris sententia 40 iudices tu, cuius officium est obediens et implere quae iussa sunt⁹.

8. Est eorum qui, etsi faciunt quod mandatur, tamen morosi sunt in aggrediendo. Psal.: « In auditu auris obedivit mihi »¹⁰.

9. Est eorum qui semper inveniuntur imparati, allegantes se in illa hora non posse facere; contra quod dicit Psal.: « Paratus sum et non sum conturbatus »¹¹.

10. Est eorum qui nunquam se disponunt, praemeditando, ad bene obediendum; contra quod dicit Bernardus: « Perfectus obe-

⁵ 29-30 Ad Titum — placentes *sup. lin.* et in marg., corr. ex Thimotei 3. Admone servos obedire domino ad simplex verbum || 38 Hieronimus *ms.*

⁶ Similia verba habet S. LEO M., *Sermo 35 (V de Epiphania)*, c. 3; ML 54, 252 A: « Nihil ergo, dilectissimi, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia praecepta veniunt in effectum, quando et gratia praetendit auxilium et obedientia mollit imperium ».

⁷ Tit. 2, 9.

⁷ In similem sensum S. BERNARDUS, *Sermones super Cantica*; iuxta THOMAM HIBERNICUM, *Flores Doctorum*, Venetiis 1550, sub titulo *Disciplina*, fol. 160v, littera c.

⁸ Cf. S. GREGORIUS M., *Moral. lib. 35, c. 14, n. 32*: ML 76, 768 A. Apud THOMAM HIBERNICUM, *Flores Doctorum*, ad titulum *Obedientia*, fol. 353r, littera c.

⁹ Epist. 125 (*Ad Rusticum Monachum*), n. 15: CSEL 56, 134: ML 22, 1081.

¹⁰ Ps. 17, 45.

¹¹ Ps. 118, 60.

diens aures praebet auditui, manus operi, linguam voci, etc. »¹².
 50 11. Est eorum qui obediunt quidem, sed cum murmure exe-
 quuntur mandata, similes obedientiae demonum, qui ad mandatum
 Domini cogeantur exire de corporibus, sed clamantes¹³. Unde
 Benedictus: Obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis homi-
 nibus, si quod iubetur non cum murmure efficiatur¹⁴.
 55 12. Est eorum qui, etsi non murmurant, tamen cum tristitia
 eam exequuntur obedientiam. Benedictus: Obedientia quae maiori-
 bus praebetur, Deo exhibetur; « qui vos audit, me audit »¹⁵. Et
 cum bono animo a discipulis [f. 273r] p[re]a[er]beri oportet, quia hilarem
 latorem diligit Deus¹⁶.
 60 13. Est eorum qui in magnis obediunt, tamen minora contem-
 nunt. Bernardus: O monachum obedientissimum qui ex quibuslibet
 seniorum verbis neque unum praetervolat¹⁷.

14. Est eorum qui interdum non curant de implenda intentione
 mandantis, dummodo mandati substantiam impleant. Cum, e
 65 contrario, apud fideles et pias mentes magis respectus habendus
 sit ad intentionem mandantis quam ad verba. *Ad Ephesios, 6:*
 « Servi obedite dominis, etc. non ad oculum servientes »¹⁸.

15. Est eorum qui, cum eis aliquid displicens iniungitur,
 pervertunt intentionem mandantis, iudicantes quod aliqua mala
 70 ratione hoc facit. Bernardus: Non sufficit exterius obtemperare
 maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sen-
 tiamus de eis¹⁹.

16. Est eorum qui, ad excusandum se ab obedientia, impoten-
 tiam allegant. Benedictus: Quid si praelatus impossibile p[re]a[ci]piat,

49 etc. del. ut supra circa tertium de velociter obediendo || 66-67 *Ad Ephesios*
 — servientes in marg., del. in textu: Hinc est quod illi liberati a Domino (quibus
 p[re]a[ci]p[er]iebat ne cui dicerent), cum ipsum p[re]a[di]cabant, laudabilius fecisse putantur
 quam si tacuissent. Quia Dominus hoc p[re]a[ci]p[er]iendo potius intendebat dare
 exemplum vanae gloriae fugienda quam ipsos obligare

12 Cf. *Sermo 41 de diversis* (De virtute oboedientiae et septem eius gra-
 dibus), n. 7 (4^{us} gradus): ML 183, 657 B. In *Flores Doctorum*, sub titulo *Obe-
 dientia*, fol. 353v, littera h.

13 Cf. Lc. 4, 41.

14 Cf. *Regula S. Benedicti*, c. 5 (De oboedientia) n. 14 : CSEL 75, 37 ; ML
 66, 750 B.

15 Lc. 10, 16. *Regula S. Benedicti*, c. 5, n. 15 : CSEL 75, 37 ; ML 66, 750 B.

16 2 Cor. 9, 7. *Regula S. Benedicti*, c. 5, n. 16 : CSEL 75, 37 ; ML 66, 750 B.

17 In similem sensum cf. *Liber de p[re]cepto et dispensatione*, c. 7, n. 14-16:
 ML 182, 869-870.

18 Eph. 6, 5-6.

19 *Sermo 3 de adventu Domini*, n. 4: ML 183, 45 C.

tamen tentandum est discipulo adimplere²⁰; ad quod confortat
 exemplum Apostoli dicentis: « Omnia possum in eo qui me con-
 fortat »²¹.

17. Est eorum qui tales se exhibent quod praelati non audent
 eis aliquid imponere; sicut equo indomito, qui mordet ac percutit,
 non audent homines imponere onus; contra quod est consilium
 sancti senis, qui cuidam religionem intrare volenti, et quaerenti
 quomodo se haberet, respondit: Tu et asinus unum estote; sicut
 asinus indifferenter quodlibet onus suscipit et pacifice, ita debet
 religiosus se in religione habere²². Iacobi 1: « In [f. 273v] mansuetudine
 suscipite insitum verbum »²³. Verbum obedientiae potest
 dici insitum, quia trahit suscipientem ad sui naturam, sicut surculus
 insertus truncu.

18. Est eorum qui, ex quadam p[re]a[sum]ptio[n]e de sapientia sua
 confidentes, dedignantur ab aliis regi. Ideo minus obediens sunt.
 Hieronymus: Bonum est obedire maioribus et, post scientiam
 Scripturarum, vitae suae tramitem ab aliis discere, neque p[re]acep-
 tore uti pessimo, scilicet, p[re]a[sum]ptio[n]e sua²⁴.

19. Est eorum qui malunt sibi obediri a maioribus, quam eis
 obedire, dum ad suam voluntatem pertrahunt faciendam. Ber-
 nardus: Multorum perversitas hodie exigit ut dicatur eis: « Quid
 vis ut faciam tibi? »²⁵. Et non ipsi quaerunt: « Domine quid
 me vis facere? »²⁶. O breve verbum, sed plenum, sed efficax et
 dignum omni acceptance. Sic enim dignum est omnino. Domine,
 non meam a Te, sed tuam a me et quaeri et fieri voluntatem²⁷.

20. Est eorum qui interdum, rem iniunctam etsi faciunt, tamen
 scienter faciunt male, in fraudem, ne scilicet alias imponatur eis.

98 acceptance del. est || 99 a me del. fieri.

20 Cf. *Regula S. Benedicti*, c. 68 (Si fratri impossibilia iniungantur):
 CSEL 75, 158-159 ; ML 66, 917-918. Vide annot. 40 in *Exh. 11 Compl.*

21 Phili, 4, 13.

22 Ita cogitasse dicitur abbas Nesteron die ingressus in religionem. *De
 vitiis Patrum* lib. 5 (Verba seniorum), libellus 15 (De humilitate), n. 30; ML
 73, 960 B. Cf. A. RODRÍGUEZ, *Ejercicio de perfección*, p. 3, trat. 5, c. 8, qui
 refert idem exemplum.

23 Iac. 1, 21.

24 Cf. *Epist. 130 (Ad Demetriadem)*, n. 17: CSEL 56, 198 ; ML 22, 1121.

25 4 Reg. 4, 2, 13.

26 Act. 9, 6.

27 Cf. S. BERNARDUS, *Sermo I in conversione S. Pauli*, n. 6: ML 183,
 363 CD.

Ut equus fictus eductus de stabulo male ambulat, ne de stabulo alias educatur. Contra quod † Ieremias †: « Maledictus qui opus Domini facit fraudulenter »²⁸. Cavendum est discipulo religioso degenti sub obedientia, ab omnibus istis, ne sic faciendo laborem obedientiae et mercedem amittat in toto vel in parte. Bernardus:
 5 Mementote fratres. Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam²⁹. Si autem Christus sic fecit, quantum cavendum est nobis ne obedientiae bonum perdamus ?³⁰.

²⁸ fictus clare script. in apographo Instit. 220, f. 316r] futus ms. || 3 Ieremias]
Hieronymus ms.

²⁹ Ier. 48, 10.

³⁰ Cf. De moribus et officio episcoporum, c. 9, n. 33: ML 182, 831 A. Ibi legitur: « ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam ». Sed alibi : « . . . qui tanti habuit obedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri usque ad mortem ». Ad milites templi, c. 3: ML 182, 939.

³⁰ In ms. sequitur, fol. 274r-279v, epist. de oboedientia sociis Lusitaniae emendata manu Natalis; quas emendationes habes in EN, IV, 9.